

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6337

**Auteur(s)** : Guillaume de Cuverville [écuyer]

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1289

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Guillaume de Cuverville reconnaît que le patronage de Sainte-Colombe appartient à Saint-Lô, avec deux parts de la dîme.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XV g, p. 319-320.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod cum contentio seu controversia mota fuisset inter me Guillelmum de Cuvervilla armigerum ex una parte et viros religiosos priorem et conventum sancti Laudi Rothom. ex parte altera super iure patronatus ecclesie sancte Columbe in Caletto Rothom. diocesis. Quod ius dicebam de iure et consuetudine ad me pertinere debere dictis religiosis contrarium asserentibus et dicentibus ius patronatus predictae ecclesie ad se et suum monasterium pertinere debere litteras predecessorum meorum et alias et rationes quamplures efficacissimas precedentes per quas rationes et litteras michi et amicis meis constat evidenter ius patronatus ecclesie memorate ad eosdem religiosos et eorum monasterium pertinere debere. Ego predictus Guillelmus quicquid iuris rationis et actionis habebam petebam reclamabam et que habere petere et reclamare poteram quacunque ratione quocunque titulo seu quacunque ex causa in iure patronatus ecclesie sepedicte dictis religiosis et eorum successoribus et eorum monasterio pro me et meis heredibus et aliis omnibus quibuscunque a me causam habentibus quito penitus et dimitto volo insuper et concedo quod dicti religiosi dictum ius patronatus dicte ecclesie cum duabus partibus garbarum decimalium crescentium infra metas et decimationem parrochie ecclesie antedicte ex nunc in perpetuum possideant bene libere pacifice et quiete et exinde suam omnino possint facere voluntatem absque ulla reclamacione contradicione oppositione molestacione vel impedimento mei vel heredum meorum in posterum faciendis. Promitto etiam fideliter pro me et heredibus meis quos ad hoc specialiter obligo quod in predictis seu eorum aliquo nichil omnino reclamabimus nec dictos religiosos aut eorum successores super premissis seu aliquo premissorum in aliquo foro ecclesiastico vel seculari molestabimus seu inquietabimus in futurum. Ad que omnia et singula predicta in posterum firmiter fideliter et inviolabiliter observanda religiosis sepedictis eorum successoribus et eorum monasterio me et heredes meos et omnia bona mea et bona meorum heredum obligo penitus et expresse. Et ut hoc ratum et stabile permaneat in perpetuum ego predictus Guillelmus predictis religiosis presentes litteras tradidi et concessi sigilli mei munimine roboratas. Actum mense octobris anno domini m°. cc°.

octogesimo nono... testibus hiis domino Guillelmo de Houtetot milite. magistro Roberto dicto Berenger clerico. Michaelae de Grinvilla. Iacobo de Chery. Guillelmo dicto Forestar.